

- Si vero propter motum nodorum satellitum, alterius nodi locum statuere vellemus in	10. ♋. 16°. 0'.
Inclinatio paulo minor deprehenderetur.	
¶ enim locus heliocentricus fuit in	8 † 24. 35.
Ergo distantia Jovis à Nodo Satellitum	1. Sign. 21. 25.
	five 51. 25.
Inclinatio orbitæ 4 Satellitis Jovis ad orbitam Jovis inde eruitur	2. 50.

Cum Cel. Maraldus eandem fere inclinationem invenerit ex eclipsi partiali quarti Satellitis Jovis, quam Anno 1702. Die 1 Septembr. habuit, ut ex Memorandis Academiae Scientiarum Parisiensis Ann. 1712. p. 200. apparet, magis confirmabar in ea opinione, ac si mihi obtigisset ea felicitas, ut rarissimam eclipsin partialem quarti satellitis Jovis observaverim. Verum sequentes observationes me certiozem reddiderunt, meam observationem fuisse frustraneam, & mutationem quam deprehendi in magnitudine satellitis, potius aliis rationibus & causis, quam eclipsi alicui adscribendam esse, fortasse aëri, vel etiam oculo, qui per diuturnam inspectionem per Tubum fatigabatur. Quicquid sit, necessarium judicavi, hic indicare, nullam eo tempore factam fuisse eclipsin quarti Satellitis partialem, ut omnis occasio erroris præcidatur; cum & alios fallere potuerit hæc sperata eclipsis partialis quarti satellitis Jovis.

Anno 1728. Die 13 Decemb. vesperi contingere debuit eclipsis totalis quarti Satellitis; calculus, ad Meridianum Berolinensem reductus, prædixit tempus immersionis 10^H. 19'. quare ab Hor. X $\frac{1}{4}$. ad Hor. XI $\frac{1}{2}$. per Tubum 18 pedum Jovem cum satellitio suo contemplatus sum, nullam vero immersionem notare potui; & quamvis quartus satelles non semper eadem claritate conspicuus esset (quod aëri tribuendum) semper tamen distincte conspici potuit: quod primam ansam mihi præbuit, dubitandi de superiori observatione.

Anno 1729. Die 7 Martii Calculus Cel. Dni Maraldi dedit emergence 4. satellitis sub Meridiano Berolinensi, Hor. 9. 3'. vesperi. Ego eam observavi Hor. 9. 5'. 20'', quod satis bene cum calculo convenit. Computatio itaque illa erat justa, quare illam pro fundamento posui,

&